



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

67. Philippus Alsatius, Flandriae Comes, an. 1176. testatur, Iuanum Gandaium, Comitem Alostanium, dotasse Meßinensem virginum Benedictinaru[m] Abbatia[m] in dioecesi Iprensi, vulgò Meessene.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

Hi duo struxerunt templum sancti Leonardi.  
 Albertus, Balduinus qui præfuit Ardæ,  
 Hi fuerant Comites non re sed nomine tantum,  
 Inelytus Arnoldus de Ganda qui veniebat,  
 Hic prius in terra, quæ nunc sunt arma, gerebat.  
 Filius illius Baldevvinus generosus  
 Hunc sequitur, probitate pari nimis ingeniosus.  
 Nobilis Arnoldus mitissimus atque benignus  
 Postea processit, cælesti munere dignus.  
 Huic Baldevvinus successit, pacis amator,  
 Consilij speculum, probus in terra moderator.  
 Egregius iuuenis Arnoldus nomine dictus  
 Imperat hinc terræ: valeat, viuat benedictus,  
 Tredecimusque Comes exstat, sit iustus ad omnes.

## CAPVT LXVII.

*Philippus Alsatius, Flandria Comes, anno 1176. testatur Iuanum  
 Gandanum, Comitem Alostanum, dotasse Mefinensem  
 virginum Benedictinarum Abbatiam in  
 diœcesi Iprensi.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego PHILIPPVS Flan-  
 driæ & Veromandiæ Comes cunctis fidelibus in perpetuum.

Nouerint tam posterì quàm moderni, quòd IUVANVS DE GAN-  
 DAVO, & VXOR eius LAVRETA, soror mea, dederunt in eleemo-  
 synam, p̄s manum Theoderici Comitis Flandriæ, patris mei, ec-  
 clesiæ MECINBENSI terram suam iuxta Comines, quæ appellatur  
 Ploiz, cùm omnibus pertinentijs suis, præter homines feodarios.

Sicut ergò mihi innòtuit hoc esse verum, tam viua voce patris  
 mei & hominum meorum, quàm scripti auctoritate eius sigillo  
 muniti; ita dominium illud, prætaxatæ ecclesiæ legitimè colla-  
 tum, sigilli mei impressione eidem confirmari præcepi, ne quis in  
 posterum hoc infringere aut temerè perturbare præsumat.

Datum Brugis anno Domini M. C. LXXVI.

T 3

NOTA. 1176.



## NOTATIONES.

DE IVANO seu IUVANO, (qui anno 1144. obiit) alijsque Comitibus Alostanis vide Annales nostros Belgicos, an. 1166.

DE MECINENSI) seu Messinensi nobilium virginum Benedictinarum cœnobio, per Balduinum Insulanum, Flandriæ Comitem, eiusque conjugem Adelam fundato, vide Codicem don. piarum tomo 1. cap. 56. & sequentibus.

COMINES) opidum Flandriæ, à quo Philippus Cominæus, laudatissimus ille Historiographus, cognomentum accepit.

## CAPVT LXVIII.

*Henricus I. cognomento Pugnax, Lotharingia inferioris Brabantiaq;  
Dux, ab Henrico V. Imp. ciuibus opidi Siluiducensis,  
nuper conditi, an. 1196. impetrat immunitatem  
à vectigalibus Rhenanis.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, HENRICVS VI. diuina fauente clementia, Romanorum Imperator & Rex Siciliae.

Excellentiæ nostræ benignitas dignum & utile attendit, vt ea quæ de Imperiali gratia circa fideles & familiares suos largitur, & benignè constituit, ne tam præsentium quàm posterorum ignorantia siue malitia possint aut debeant retractari, priuilegij sui munimine confirmet.

Quapropter notum facimus vniuersis Imperij nostri fidelibus, præsentibus & futuris, quòd nos attendentes puram fidem & multa obsequia, quæ dilectus consanguineus noster HENRICVS, Dux Lotharingiæ, nobis & Imperio constanter exhibuit, ad instantem ipsius postulationem, vniuersos homines suos de noua ciuitate apud SILVAM, qui nunc ibi sunt, & in posterum ad manendum illuc conuenerint (exceptis nostris hominibus, qui ibi recipi non debent) à telonijs nostris, quæ nos vbique in Rheno ad manus nostras habemus, Imperiali benignitate in perpetuum absoluiamus.

Ita videlicet quòd de rebus, quæ suæ sunt, nullum nobis vel nuntio